



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VII. Beatam dicunt ægri, quia est omnium morborum Medica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

7. Beatam dicunt ægri, quia est omnium morborum Medica.

s. Antonin. 1. p. tit. 8. cap. 3. Sicut Rex dum mittit ad prælium milites suos (quia ut sapiens cognoscit quod multi ibi vulnerentur) mittit etiam medicum ad curandum, ita Deus sapientissimus, præsciens nos habituros continuum certamen cum dæmonibus, sæpè ab ijs peccatorum vulneribus damnificari, concepit in mente sua, & disposuit mundo mittere medicum, scilicet Virginem Beatissimam. Quod *Alb. M. super missus cap. 141.* sic probat. Nullus morbus fuit ita incurabilis, quin Virgo sciret & posset eum curare, ergo habuit in summo scientiam medicinæ. Item scivit curare solo verbo, ergo scivit medicinam in summo, item ipsa scivit curare corpus & animam, ergo ipsa scivit perfectè medicinam. Item ipsa scivit sanare ad immortalitatem, ergo in summo habuit medicinæ cognitionem. *s. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 19. parag. 2.* Nullus morbus quantumcumque incurabilis est, quem non valeat Maria curare, ut cæcitas & mors. Undè illi canitur: Cæcos tu illumina, mortuos suscita, da mæstis lætitiã.

Pro hac ipsa re argumentatur *S. Basilius Seleucus orat. de Annunc.* Si Christus servis suis tantam gratiam contulit, ut solo tactu, imò verò solâ corporis umbrâ, ægris præsidium afferre possent, qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est. *Amedæus Lausonens: bom: 8. de laud. Virg.* Non solum animarum saluti, verum etiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati piâ diligentia B. Virgo providet, & medetur. *Idea Atlantis Mariæ Antior pag. 55.* breviter ejus medicinæ extensionem comprehendit de imaginibus ejus loquens, misericordia ejus redundat in Episcopos, & Pontifices, in Canonicos, Religiosos, Eremitas, & Imperatores, Principes & Nobiles, in archiepiscopos, rusticos, & pastores, in ethnicos, judæos, hæreticos, in fæminas Principes, Virgines, & uxores afflictas, in infantes, tribulatos, captivos, energumenos, desperatos, blasphemos, ignorantés peccata, pænitentes, peccatores, in eligentes statum vitæ, in milites fame afflictos, præliantes, obsessos in urbe, in mari, in speluncis, in podagricos, cæcos, claudos, mutos, surdos, paralyticos, in animas purgatorij, in tempeltate, ruinis montium, domorum, in incendio, in naufragio, eluvione, in aquæ penuria, pro felici & veloci reditu, rebus amissis. Jure potest comparari fluvio Jordanis, in quo Naaman abluit lepram. *4. Reg. 5. Richard. à S. Aur. lib. 9.* Maria Fluvius Jordanis, in quo ad præceptum Elisei restituitur caro Naaman leprosi, sicut caro parvuli pueri.

Et *Damasce. serm. de dormit.* loquentem sic Virginem habet. Ego evasi Officina medicinæ ægrotantibus, ego Fons perennis curationum. *Petrus Blesen. serm. 1. in Advent. Dom.* Probatica piscina B. Virginem significavit. Et *Richard. lib. 9.* Maria est Probatica Piscina, in quam Angelus secundum tempus descendebat, & movebatur aqua, & sanabatur unus. Tempore enim Incarnationis descendit magni consilij Angelus in Mariam, & mota est aqua, quando ad novam salutationem turbata est Maria, & sanatus est unus, id est quotquot crediderunt in Deum trinum, & unum. Christus carnis suæ tactu sanabat ægros, hanc carnem à Virgine accepit. *Guericus Abbas serm. 1. de Annunc.* Quotquot tangebant eum sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Beatus igitur venter qui te ô Domine Jesu portavit, felix castitas uteri Virginalis, quæ huic operi materiam ministravit.

Aliud paradigma *Andr. Mediolanen.* Virginis habet cum ait: Tu Columna cui ad sanandum populum serpens est impositus in eremo. Aliud *Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2.* Maria illud Oleum misericordiæ est, quod verus Samaritanus, id est Christus, infudit vulneribus sauciati generis humani. *Basilii Seleuc. orat. de Verbo Incarnato.* Si Christus tantam gratiam servis suis contulit, ut solo contactu, imò verò solâ corporis umbrâ ægris præsidium afferre possent, nam (ut *Actorum exponit liber*) infirmi in plateis ejeçti, umbrâ tamen Petri contacti, liberati à morbis evadebant, non deerant quoque, qui linteo quo Apost. Paulus corporis sudorem extulerat accepto, infestos dæmones profligarent. Qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est, an non multò majorem, quàm cæteris Christi imperio subjectis? Res clara est. Nominatum de periculo parientium, *Paulus Croesus epist. ad Heliod.* Coram Deo novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Depascebatur Ægyptum multitudo locustarum *Exod. 10.* sed omnes merisit Moyses in mari. Maria est Mare teste *Bonavent. in spec. B. Virginis,* in illo merguntur nostra mala. *2. Reg. 13.* Banaïas miles Davidis leonem occidit, sed in *Cisterna,* per quam *Richard.* intelligit nostram Virginem.

Hæc est Vitis sub qua quisq; securiùs habitat, quàm Israel, & Juda. *3. Reg. 4.* Asservatur Romæ cum omni cultu imago B. Virginis, hauriebat Romam & exhauriebat contagio, & malum omnè artem vicerat, cum *S. Greg. Magnus,* gnarus quantum hæc Virgo thesaurus esset sanitatum, imaginem per urbem deportat, approbârunt & Angeli cantu ab omnibus audito, accinentes *Regina coeli letare Alleluja &c.* cui *S. Pontifex* adjecit versiculum: *Ora pro nobis Deum Alleluja,* & in ipso

ipso cacumine Adrianae molis à S. Pontifice conspectus, qui reposito in vaginam gladio pestiferæ sui finem faceret Angelus. In cuius rei memoriam castellum accepit nomen ab Angelo, & supra imposita Angeli effigies.

Baronius anno 534. ex *Evagrion* refert, eo tempore tam ferocem pestem fuisse, ut nec 50. annorum morâ conquiesceret, ex urbe ipsa Constantinopoli ab initio quidem pauca, deinde in singulos dies 5, sæpe etiam 10. millia funerum efferebantur, remedio fuit Virgo, statuitur festum Hypopantes seu Purificationis, quod remedium ex revelatione, ut ait *Martinus Polonus* anno 529. cuidam viro pio facta innotuerat, (festum hoc jam erat in cultu in occidente) & confestum pestis extincta. Pestis, aut pesti simile fuit venenum volatile basilisci, qui Romæ tempore Leonis 4. anno 843. ebullierat; deportata imago B. Virginis, appellata Majoris, & confestum bestia tot mortuum, ferax emortua; quod adnotat *Baronius* die Virginis B. Assumptæ contigisse. Efficaciam hymni illius *Conimbricenses S. Cletæ Moniales* expertæ, quem etiam Divinitus edoctæ, postquam se ipsas à peste tutatas, omnibus communem fecerunt: *Stella celi extirpavit &c.* Sæpe urbs Roma peste afflicta, ad imaginem Virginis confugit, ita S. Greg. illam circumtulit, & cessavit ira Dei. Calixtus 3. simili necessitate & fructu eam circumgesit. Adrian. 6. simili occasione, & eventu.

Cùm Atrebatum peste ardentissimâ flagraret anno 1105. quâ cælestis ignes impuros urebat, nec ullus remedio locus erat, nam aura ipsa inflammabat, apparuit D. Virgo duobus inimicis, ac utrumque eodem modo allocuta, eorum alter in Brabantia, alter in Tarnesio morabatur. Historiam refert *Maraccius in Antistit. Marian. pag. 350.* Surge inquit & Atrebatum proficiscere, magnam præ templi foribus ægrorum. comperies turbam, semianimes, ac ferè flagrantem tabe consumptos, inde Lambertum loci Episcopum adibis, monebisque, ut subbati proximi nocte, vigil excubet, ægros juxta templum decumbentes visitandos sub primum galli cantum conspicietur in simili quam gero veste mulier à choro templi delabi cum cereo in manibus, quem vobis tradet, de quo ceræ modicum instillabit in vasa aquæ plena, quam ægris deinde quibuscunque potandam præbebitis, eademque inflammatas pestilenciales partes irrigabit, quotquot autem hoc salutari remedio viva credentes fide uti voluerint, invadent incolumes, quotquot autem despexerint, morte corripientur; sed cùm neuter dictorum visioni obediret, utriusque rursus comparuit Virgo, ac monuit, ut exequerentur iustitiam, sed Episcopus metuens illusionem, neutri credidit: tandem serio affirmantibus, ac iras quas habuerant, deponentibus, assensus, ac omnia uti dixerant deinde exper-

ens. Benè itaque à *Geometra. hymno 4.* Virgo appellatur Medicina ægritudinum nostrarum. Tanquam receptam Medicam reliquit *Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2.* Tristatur aliquis, continuo ad nomen Mariæ recedit nubilum, serenum redit. Et rationem dat *lib. 1. cap. 2.* Nomen Mariæ duritiem apostematis, quod designat superbiam, emollit, & sedat tumorem cordis. Felix itaque qui hoc nomen Mariæ in corde, & ore frequenter habet: quidquid ibi superbiæ indurat, de tanti vocabuli virtute emollietur.

Concludat *S. German. dicendo orat. de Præsent. B. V.* Medicina insanabilium vulnorum nostrorum, S. Virgo est. S. Theod. Siceotes Anachoreta factus Episcopus Anastasiopolitanus, cum à quibusdam porrectum in potu venenum nescius accepisset, triduoque velut mortuus jacuisset, apparuit illi SSma Virgo, & sceleris authores aperuit, & tres illi porrexit pilulas medicas dicendo: Comede, & nihil mali residebit in venis quod te magnopere turbare queat. Apud *Maracc. Antist. Marian. fol. 525.*

8. Beatam dicunt pauperes.

Quia est illorum Ditatio.

Non solùm æterna nostra curæ sibi fecit Virgo S. sed etiam temporalia. Pareat id ex hist. quam *Augustinus Mannus in bist. rerum. memor. in Ecclesia Dei caps. 79.* recenset. In Hispaniæ Regno Cantabria, est imago B. Virginis Anaglyptica, præter gemmas quibus eam copiosè exornavit pietas clientum, erant crepidæ argenteæ. Vir erat quidam probus, sed egenus, Virgini certè devotissimus, dum hic suas necessitates, filias indotatas jam nobiles, familiam esurientem, se ipsum in lacera veste Virgini in oratione sistit, projicit illi Virgo crepidam, annuens ut acciperet; accepit, sed dum argentum in pecuniam apud aurifabrum mutat; sacra crepida agnoscitur, miser rapitur, damnatur ad restum. Hic verò ingemiscere beneficio, & dum jam ad fatalem deducitur trabem, orat, impetratque ut Virgini sisteretur, ob cuius beneficium damnabatur. Orat palàm, quæ ultima hora, & calamitas monebant, populus aderat frequens: & ecce pientissima Virgo alteram crepidam jacet ante pedes miseri, & simili nutu monet, ut recipiat munus, cohorrui spectaculo populus, & innocentem absolvit.

Aliud refert *Gregor. Turonen. lib. de gloria M.M.* Hierosolymis in Monasterio tantus erat rerum defectus, ut agitaretur de solutione, idque urgebant ipsi maxime, qui patiebantur. Detinet Abbas fixa spe in B. Matrem, orationemque no-